

Dissertatio de anthrace et pustula maligna : quam, dum summos medicinae honores, in R. S. Uniuersitate Pestinensi obtineret, concinnauit / Carolus Kraitsir.

Contributors

Kraitsir, Carolus.
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Budae : Typis Typographiae Regiae Universitatis Hungaricae, 1829.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mjrny2sn>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

The image shows a close-up of a marbled paper pattern, likely from an antique book. The pattern consists of dense, wavy, overlapping bands of color in shades of brown, tan, blue, and green. On the left side, there is a vertical strip of a different material, possibly leather or a different type of paper, which is dark and textured. A circular stamp is visible on this strip, partially overlapping the marbled paper. The stamp is white with a red border and contains the number '1027' in black ink.

1027

11.6.13


PROPERTY OF THE
PUBLIC LIBRARY OF THE
CITY OF BOSTON,
DEPOSITED IN THE
BOSTON MEDICAL LIBRARY.

Accessions

37,835


Shelf No.

7799.99



Received Sept, 2, 1892.

Heliotype Printing Co.



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

1881

1882

1883

Dissertatio
de
ANTHRACE
ET
PUSTULA MALIGNA,

quam,

dum summos medicinae honores, in R. S.
Uniuersitate Pestinensi obtineret, concinnauit

Carolus Kraitsir.

Budae

Typis Typographiae Regiae Universitatis Hungaricae.

1829.

De anthrace et pustula maligna.

Inflammatiō cutis, textus cellulosi cuti subiecti, atque panniculi adiposi, aut glandulae lymphaticae, vehemens, cum tumore duro, limitato, citissime in gangraenam sphaecelumque abiens, *anthrax* vocatur. Cum vero mox in principio vna, aut plures pustulae, similes iis, quae ab ambustione fiunt, excitantur, in vesicam assurgentes, eodem plane exitu, *pustula maligna* adesse dicitur. Malum vtrumque, si naturam spectes, omnino idem, habitu solum diversum est.

Morbus admodum periculosus diversa apud auctores nomina sortitus est. Ἀνθράξ; carbo, carbunculus, furunculus gangraenosus, s. malignus, abscessus gangraenosus, pustula maligna; *Arab.* pruna, persicus ignis; *ital.* carbunculo, carboncello, carbonchio, crusco, vespajo; *hisp.* carbunculo, lobarillo; *gall.* anthrax, charbon, carbuncle, furoncle malin, abscess gangréneux, pustule maligne ou charbonneuse, puce maligne, bouton malin; *angl.* anthrax, carbuncle; *germ.* Karfunkel, Brandbeule. bösertiger Blut-schwär, brandige Eitergeschwulst, schwarze Blatter, Brandblatter; *hung.* pokolvar. Cognomentorum tamen non vbiq̄ue eadem est ratio, cum quidam anthracem a carbunculo differre statuunt, ludicra super distinctione hac nominis proferentes, ut mox patebit.

Hominem interdum bene valentem anthrax et pustula maligna inuadit. Loco quopiam cutis externae sentitur pruritus, similis illi, quem insecta pungendo cient, isque haud lenis, ad scabendum incitans. Interdum vero doloris, et ardoris, quasi a pruna, sensus subito adest. Brevi post exsurgit tumor durus, praeruber, limitibus exactis, urens,

extensione semen lentis, palmam manus, imo patinam cibariam quandoque aequans (*A. G. Richter*); cito enim multum extenditur, apice elevato aliquando comparente. Interdum vero supra cutim non elevatur.

In medio plagae phlogistae cito comparet punctum, aut macula, colore cineris, post breve tempus fusca nigraque, manifesto indicio gangraenae incipientis. Ab his principiis incipiens malum, *anthrax* sensu, ut aiunt aliqui, stricto compellatur. Cum vero, paulo post contactum sontis corporis, pruritu et sensu singulari exiguarum punctationum praeunte, punctum comparet rubrum, cute vix altius, et pustula una, aut plures per summa cutis, epidermide assurgente, excitantur iis similes, quae ex ambustione fiunt, morbus, sensu illo stricto, *carbunculus* dicitur. Initio vesiculae flauum continent liquorem, qui mox liuescit, nigrescitque, et ruptis illis, in crustam conuertitur gangraenosam. Ambitus durus est ac splendens, brevi lividus, margo vesicularum candicans. Circum locum affectum oedematosus tumor quaquauersum celeriter increscit, vesiculis simul ad magnitudinem nucis auellanae auctis. Dolor nullus interdum, nec tensio sentitur. Ablatis scabendo pustulis, ex superficie nuda, ichor quasi per cribrum sudat. In ambitu escharae, gangraena correptae, partes consumuntur, illaque decidua, cernitur ulcus profundum, depascens. — Posteriori forma praeditus morbus congruo uomine *pustulae malignae, nigrae*, etc. rite insignitur, vitata denominatione carbunculi, anthraci penitus homonyma. Ubi iam ad gangraenam peruentum est, eundem sane, cum anthrax, tum pustula maligna decursum habet, idem minatur discrimen, eadem curatione indiget. Iuvabit paucis quasdam adferre morbi gravis variationes, quas, in principio saltem, ostendere consuevit, priusquam exponatur progressus eius ulterior. Diuersum aegritudinis habitum, cum a genesi varia, tum a diuersa coeli terraeque regione, in qua occurrit, repetere, tum etiam diuersae auctorum obseruandi rationi

tribuere licet. *Davy - la - Chevrier* pustulam Burgundiae oriri cum pruritu refert; postridie phlyctaenulam prurientem cum sero rubicundo, calorem et tensionem vicinorum adesse; die tertio punctulum nigrum in centro, phlyctaenas recentes, areolam obscure rubram, tumorem et ardorem, ac tunc incisionem aegre fieri posse; ultimo escharam formari, vim sensiferam aboleri, et bene tractata affectione, eschara decidua, pus bonum generari. — Alias initio eodem, tardius nodulum et oedema percipi, cutem die quarto, marmoris instar, esse maculis notatam. In casu priori locus induratus *humilior* cute reliqua, in posteriori vero tuberculum *eminens* super tumore, varietates auctoris dicti duae sunt. — *Ph. Pinel* tres varietates statuit, *eminentem* scilicet, *depressam*, utramque contagiosam, et denique *non contagiosam*. *Eminens* incipit a pruritu et vesicula milii mole, quae sensim maior fuscaque euadens, rupta serum rubellum fundit. Pruritus interdum intermittit; tangitur tuberculum durum, cultro renitens, interdum lentis forma, mobile. Color cutis solum in medio et in fundo vesiculae lividus aut citrinus. Caloris, ardoris, rosionis sensus, ad cultrum vero nullus. Tumor tensus splendet. Ambitus elevatur, pallet, rubet, livescit, aut ex flavo in rubrum inclinatur; phlyctaenulae discretae comparent, serius confluentes, cum sero rubicundo. Tuberculum centri fuscescit aterimumque evadit, induratur, augetur, gangraena corripitur profundum petit; crusta gangraenosa sensim ultra serpit et area nodum aggeris ad speciem cingit. Synchronone accedit tumor, saepe praegrandis, erysipelati meteorismoque simul similis, durus, stuporem et constrictionem in parte affecta ciens, gangraena semper amplius progrediente. — Per plures dies insignis praedit *varietatem alteram* pruritus. Mox videtur punctum atrum, a pulicis quasi punctione, phlyctaenae limitatae, percipitur dolor, calor et stupor membri infra affectionis locum, cum symptomatis aliis gravibus. Papulae ruptae serum plorant tenue, superficie nudata atro

aut obsolete rubro colore tincta atque parum partibus imis affixa. Interdum phlogosis exigua est, caeteris ut supra se habentibus. — Exemplum *non contagiosae* pustulae Pinel sequens adfert. Syncope aut hilaritas quandoque praecedunt tumorem inflatum, elasticum, cuti concolorem, cui insidet alter cyclicus, praedurus, mobilis aut affixus. Plerumque vero absque ullo prodromo comparet. Exsurgit in medio pustula, mole seminis cannabis, qua remota, videtur macula fusca, livida aut nigricans, cutem penetrans, liquorem, consistentia et colore varium condens. Emphysema ultro repit. Adest febris raro dolorque, alvo constipata aut nulla. Magna interdum hilaritas; verum ubi suppuratio imminet, febris, extremorum frigus, pulsus inaequalis, timor mortis, quamvis morbus faustum nactus sit exitum. —

In Suecia et Russia cum doloribus atrocissimis saepe inuadit, brevi lethalis. In Polonia subito, absque vlla febris, nodus comparet niger, in vesicam mutandus, sequitur tumor calidus, praegrandis, colore scarlatinae, celerrime in gangraenam abiens, ultro quidem partes non consumentem, saepe tamen cito letalem (*A. G. Richter.*) In quibusdam idcirco terrae partibus, formis variis ludere anthracem verisimillimum est, adeo, ut de carbunculo septentrionali (suecico), polonico (warschoviensi etc.) esthónico, russo, sibirico, lithuanico, prussico, hungarico, gallico (burgundico, provinciali etc.), guadeloupensi, americano, etc. etc. tractatus occurrant. Quin imo diversorum temporum carbunculi distincti leguntur, e. g. apud *G. L. Bayle* in département Basses Alpes, de anno 1795, plures apud *Fr. Schnurrer*. Quibuscunque autem initiis malum hominem aggrediatur, semper in gangraenam, ex hac vero in sphacelum, citissime ruit, suppurationis omnino nullo indicio dato, nec resolutione unquam consequente. Regio, loco affecto vicina, interdum in tantum attollitur tumorem, ut totum ambeat collum, aut faciem integram tandem occupet.

Non raro glandularum vicinarum nimius est tumor, cum colore erysipelatis, aut cum oedemate, aut utroque simul, cum, vel sine dolore. Rubor partis affectae quoque ultro protenditur. Dum eschara coloris cineritii aut nigra adest, consumptione infra eam vigente, tunc *anthrax* siccus adesse dicitur, cuius substantia coloris est flavicantis, aut liuida, aut subnigra, paucas solum ichoris guttas plorans. Anthrax vero *humidus* vulgaris gangraenae humidae imaginem praefert, ex plurimis foraminulis manantem ichoris copiam largiens (*Ios. Frank*). Non solis integumentis communibus, telae cellulosae et panniculo adiposo labem infert morbus, sed saepe in omnem directionem serpens, musculos consumit, imo nec ipsis ossibus ac tendinibus parcat. Ichor tenuis, acer, flavescenti-viridis, aut sanguinolentus (sanies), foetidus, partes cito depascit. Interdum profunde omnia iam sepsis tenet, externo signo nullo. Partes glandulosas imprimis fuisse vastatas, in C. Sümeghiensi 1825 observatum fuit.

Post aliquot horas a prima morbi localis origine, interdum vero post unum alterumque diem, vires aegri franguntur, caput obtuse dolet, pulsus fit debilis, somnus inquietus, animus deiicitur. Saepe vero eruptionem febris praecedit, saepe vero vix vlla, per totum morbum, observatur, aut saltem admodum exigua. *Pinel* hilaritatem extraordinariam observavit. In longe plurimis vero casibus, febris cito vehemens, cum aestu magno, pulsu admodum frequenti, saepe tremente aut contracto accedit. Synocha interdum totum morbum comitatur; saepe tamen brevi post cuncta febris nervosae, aut putridae evoluuntur symptomata.

Haec vero, quae nunc exponentur, morbi vniuersalis phaenomena, iam plura, iam pauciora simul adsunt: dolor epigastrii, nausea, vomituritio, vomitus; dolores artuum vagi, praecordiorum oppressio, anxietas et sensus peculiaris, ac si cor subleuaretur, ardor internus; vertigo, lassitudo.

tudo nimia, syncope, lipothymia, partium stupor, sopor, carphologia, delirium saepe vehemens; interdum diarrhoea, sudores profusi. Interea gangraena in sphacelum iam mutata, aeger exstinguitur, die tertio vsque vndecimum aut serius; licet persaepe ab affectione locali, nimium quantum in peius ruente, iam primo aut altero nychthemero mors consequatur. Feliciorem morbus habet exitum, dum eschara sponte separatur, aut gangraenae physiocratia arteue limites ponuntur, nam tunc, reiectis per frustra partibus vita priuatis, vlcus remanet purum, serius ocys, benigna supuratione, papillis carneis natis, consanandum, cicatrice residua.

M. I. Chelius et alii auctores carbunculum in *benignum* et *malignum* distinguunt, quorum ille saepe causa latente, bona ad speciem valetudine, plerumque homines miseros, debiles, potissimum post errores in ratione victus commissos adgrediens, fere absque febris absoluitur: posterior autem semper symptoma febris grauis, neruosae aut saepius putridae est, qualibet periodo oriens, funestum plerumque petens exitum et tumorem humilem exhibens, partibus subiectis quasi affixum.

A. G. Richter, causam excitantem spectando, *carbunculum lieniticum* (Milzbrand = Karbunfel), ab esu carniū aut alio modo a gangraena lienis pecorum profectum, describit, cum pustulis multis caeruleis et molestiis phlogososis abdominis incedentem. Missis aliis morbi ominosi varietatibus, hic paucissima de *anthrace pestilenti*, nominando tantum, adnotasse sufficiat. Tumor ruber, valde inflammatus, parū eminens, profunde subter actis radicibus fixus, nimium ardens dolensque, durus, tres quatuor digitos amplus. — Aut pustula exigua vna, pluresue, mox confluentes, celeriter vt vesicula ~~attollendae~~, sero albo, fusco, cineritio, rubicundoue plena, mox liuido et nigro. in ambitu papulae initio nullus rubor, verum die altero circum vesiculam, mole auctam, annulus ruber. Interdum super

tumore vesicula exurgit, quae semper rumpitur et plagam gangraenosam, ambustam quasi, relinquit. Gangraena in latum et profundum repens, mortificationis labem, tempore breuissimo, quaquauersum, ad musculos et ossa ferens, vsque dum aut pars sphacelosa a viua separetur, aut aeger moriatur. Quandoque e carbunculis lineae rubrae, radiorum instar, diuergunt. Potissimum scapulas, inguina et artus obsidet; licet et in mammis, genitalibus, abdomine, capite, in faucibus, ano, ad collum vesicae vrinariae, sub vngue digitorum et alibi fuerit visus.

Quouis pestis stadio vnus, quatuor, pluresue carbunculi in conspectum proueniunt, febris rationem nequaquam sequentes. Bubones praecedunt, vix superueniunt, imo saepe carbunculis comparentibus disparent. Vicissim bubonum incrementum carbunculi perfectioni obest; in quibusdam vero epidemiis carbunculi bubonibus insident.

Nulla est corporis pars, quae immunis a carbunculo et pustula maligna non pestilentibus dici posset; erumpunt enim in facie (ad oculum, in palpebris ἀνθρακώσεως nomine, *Herodot.* introd. c. 15. et *P. Aegineta*), in collo, pectore, artibus, ad genitalia, in abdomine; creberrima tamen sedes est in nucha, in regione inter omoplatas, dorso et natis. *Tournefort* carbunculum, in insulis Archipelagi, fauces infantum obsidentem, cito enectorum, ad scarlatinam; *Garengot* vero in ano obseruatum ad furunculum, ex accidenti gangraena correptum, referunt. Neque ad partes, in quibus nidulatur anthrax, eius corrumpens et mortificans vis restringitur, sed velut occulta et interna pestis, intima organismi labefactat. Post mortem vastationes partium hae inueniuntur: textus cellulosus partium ei contiguarum sanguine resolutus repletus (*Chopart*). Cutis, cellulosa subcutanea et intermuscularis, muscoli (sic pterygoideus externus) sphacelo consumti, partes nempe hae humidae, molles, foetentes; vasa dilatata sanguine nigro; totus paries caui oris destructus, non ossibus nec tendinibus exceptis;

ossium substantia sanguine nigro repleta; interdum tuberculum, quod nucleum anthracis constituit, fusco-rubrum, densum, nullum fundens sanguinem; in partibus vicinis vix vllus sanguis, sed serum rubicundum, corium in pulvem fere conuersum; pone ostia corporis nidulante pustula, emphysema in membranas mucosas continuatum, apud *A. N. Gendrin* leguntur. Reperti sunt pulmones sanguine turgentes, sero multo innatantes (*Chopart.*) Gangraena ventriculi et intestinorum tenuium, saepe cum voluulo, peritoneum incrassatum, epiploon et mesenterium liuida, seri rubescens magna copia; hepatis parenchyma iusto obscurioris coloris, vesica fellea et ductus biliferi inflammati, paucam bilem spissam et fuscam continentes; saepe enthelminthes; sanguis venosus aterrimus (*Heiroth, Bertin*).

Causarum, quibus morbus, omnino periculosus, continetur, diversas adferunt obseruatores. Crebro tamen nulla plane erui valet. Diathesin subesse vix dubium est, cum nonnulli homines ab exili causa afficiantur, inprimis egeni, viribus exhausti, cachectici, ebriosi, retentionibus urinae obnoxii (teste *La-Fontaine*), senio fracti, curis vexati, valetudinarii aut conualescentes (*Portal*). Sententiam et id confirmare videtur, quod aliqui hominum, nec ab esu carnis pravae, nec ab attactu partium animalium inficientium, quidquam patiantur. Caeterum nec aetas, nec sexus ab anthrace eximit. Excitantium momentorum praecipuum et frequentissimum a plurimis (excepto *Birnstiel*) ponitur in commercio, quod hominibus cum bobus, ouibus et capris splenitide (*infl. lienis gangraenosa, maladie charbonnée, Milzbrand, Karbunkelfieber Kauschii*) laborantibus intercedit. Glossanthrax aut stomacace et angina carbuncularis porcorum, atque ozaena maligna equorum, a quibusdam etiam culpantur. *Kausch* ipsas aues domi atiles lue simili corripit posse autumat, pellem vrsi, qui pecus aegrum e terra efodit, quatuor hominum mortis fuisse causam scribens. Plerumque fatalis est esus carniū pecorum splenitide

exstinctorum; quamquam non desint exempla carnes impu-
 ne fuisse consumtas, iam ab *I. A. Unzer* collecta. Fors
 coctio vim noxiam carnum tollit, aut digestio eandem su-
 perat, adeo, vt cum veneno viperarum contagio huic ali-
 qua sit analogia. De diathesi dictum est. Gigni autem in
 pecoribus per splenitidem contagium, dubio vacat, nam in
 cadaueribus animalium saepe ad articulos extremorum et ad
 tracheam pustulae malignae similis tumor, in cellulosa
 mersus, glandulae tumidae, oedemata, muscoli coloris plum-
 bei, pulmones et alia organa interna gangraena correpta
 reperiuntur (*Kausch*). Noxias esse carnes animalium, quae
 nimium aguntur, *Chelius* suspicatur. Infectio durante vita,
 et post mortem locum habet, maxime in regionibus vdis,
 sirio vrente, et autumno humido. Plurimum exponuntur
 periculo pastores, oeconomi, veterinarii, laniones, cerdo-
 nes et alii idgenus homines, qui curam animalium gerunt,
 aut eorum carnem exuiasque contrectant. Contagii vis diu-
 tius quoque persistit, nec semper immediatus ad suscipien-
 dum requiritur contactus. *I. P. Frank* Hebraeum vidit, ob
 detractam cutim altero die mortuum. *Bertin* ducentos Ae-
 thiopes in Guadeloupe a cura animalium aegrorum anthra-
 ce correptos refert, e quibus plures obierunt. *Pinel* fa-
 brum ferrarium, instrumento, quo aegrum animal contrec-
 tabatur, antibrachium laedentem, ante 24-am horam mor-
 tuum fuisse narrat. Anno 1777 anthracem inter eos, qui se-
 bum et alias partes animales tractabant, grassatum fuisse
 Parisiis scribitur. A sanguine bouis aegri, partes corporis
 varias, e. c. oculum contingente, licet illico absterso; ab
 excrementis morbum fuisse concitatum, exempla docent.
 Suscipitur autem facillime contagium partibus teneris, epi-
 dermide orbatis, aut sauciatis. Quenam vero opinionum
 probanda sit, an Gallorum meridionalium, qui splenitidem
 inter animalia contagiosam esse contendunt, an vero Ger-
 manorum septentrionalium, qui id rarissime, solum in sum-
 mo morbi gradu, admittunt, nondum liquet. Cunctas sple-

niticorum animalium exuias homini, feris, sui, altilibus nocere, euictum est. *Adami*, veterinarius celebrer aliique irrito lienitidem inoculatione producere conabantur, cum tamen in Prussia ipsum sudorem vaporemque infecisse compertum sit. Ab uno ad alterum hominem non propagari, plurimi autumant, cum e contrario exempla duo contagionis per sudorem apud *Paulet*, alia in *Asclepieio* a. 1810 adnotata sint, in C. Sümeghiensi, uno correpto homine, plures in eadem domo prehensi fuerint a. 1825, et apud plebem lithuanicam, ab ipso aëris contigui afflatu morbum excitari, opinio vigeat. *Barthélemy* minorem vim inficiendi carniuora animalia splenitidi tribuit. *Pallas* suspicatur, pustulam malignam non in Sibiria sola, sed et in aliis Russiae prouinciis, orientalibus asiaticis, praesertim ad fluvios Uy, Irtisch, Isset, Volgam etc. endemium, ab insecto trahere originem. *Heiroth*, *Hopf* et *Rehmann* idem censent, quamuis insectum non prodant. In Sibiria aestate feruidissima (frigidiusculis enim non comparet) in locis paludosis, multa insecta alentibus, inter homines, boues, equos et inter animalia pilo breui praedita grassatur pustula nigra. Apud Kalmukos phalangium araneoides, bibio sanguinarius, scolopendra morsitans, cutis vitia carbunculo similia producant. Aliqui furiam infernalem Solanderi, alii siricem gigantem, alii alia accusant insecta. Accedit anthracem Sibiriae non contagiosum cum pruritu et tumore, prout ab insectis excitantur, ingruere, atque herba nicotiana profligari. *Burel* duos aegros punctionem ab insecto sensisse, tertium vero ipsum insectum prehensisse narrat. Plura in hanc rem videsis apud *Chopart*, *Achard* et *Richard*. *Vimat* insecta, per se innocua, fortuito vlcerum malignorum, aut epizooticum contagium secum ferre, ac disseminare asserit, ita, vt verisimile sit, Sibirios pastores ab armentis, splenitide affectis, morbum hac acquirere ratione. Cutis abnormem irritationem, anthraci producendo parem esse, *I. P. Frank* obseruauit et quidem ab emplastro ve-

sicante, ternis vicibus nuchae, absque indicatione, applicito. Ortus anthrax, infantilis capitis mole, cataplasmatibus irritantibus, atque theriaca impositis, opioque interne sumto, sensim separatus, ossa nuda reliquit, sanitate tarde revertente. In casu altero, post thermarum Badensium Austr. vsum, eadem fere methodo sed aegrius curatus fuit. Post vsum thermarum aliqui, a scarrificatione alii, *Labadie* ex odore cariei in mala, *Göckel* a terrore excitatum fuisse carbunculum scribunt. Non desunt, qui a solo aëre pravo, imprimis paludoso et constitutione epidemia singulari, produci carbunculum credant. Alii malam tum aëris atmosphaerici, tum aquarum indolem endemii anthracis, et pustulae malignae rationem continere, sibi persuasum habent (*Bunge*). Grassatur autem fatale malum quam maxime sole nimium vrente, in regionibus paludosis et planis Hungariae inferioris, sub messe, mensibus Julio et Augusto, et in Gallia quoque aestate declinante et toto quandoque autumno. *Hippocraticus* vir Epid. II. anthraces Cranone aestiuos fuisse, pluviis cum aestu frequentibus largis. Per totum idque ab austro magis. Plura ἐπιδημιῶν exempla adnotavit *Schnurrer*, quorum aliqua mox adferentur. In département. Galliae Alpium inferiorum 1795, in Beauce (regione inter Parisios et Aurelianum) crebrius, in Sarmatia veteri per vices frequentes, in Borussia post annorum certam seriem, anthrax epidemius observatus fuit. — Eodem tempore cum carbunculo populatim grassante et alii saepe morbi, latius per humanum genus extensi sunt, exemplo febrium ardentium cum sopore stomachique fastidio, vlceribus, putredine et ecthymatis magnis, ab *Hippocrate* in Epid. III. Sect. 3. observatis. In regione Sümeghiensi A. 1825. scarlatina, inde ab hyeme dominans, imperium adhuc tenebat, dysenteria simul et febribus gastricis frequentibus. Potentias cosmicas omnis generis, aëris θεῖον, sensu Coi senis, item famem, bella et alias afflictiones, in nexu efficientiae cum genesi anthracis ac pustulae malignae esse, chronica testantur, et

recentissime a *Schnurrer* ex parte elaborata. Auctor hic ulcera vesicasque, hominibus et pecoribus in Aegypto infestas, a cineribus per Mosen et Aaron in aëra sparsis ortas, declarat pro anthracibus, ab explosionibus vulcanicis cineribusque productis. — Anthracem prima vice Romam, Coss. Tib. Semp. Graccho et M. Iuuentio Thalna, cum gossypinis mercibus fortassis, adlatum ex Gallia Narbonensi, *Plinius* noui morbi nomine describit, qui cum morbo propter Castres (vbi *Maluat*, *charbon prouencal* dicitur) congruit (*Borellus*, *Werlhof*.) Is per minimum vulnus communicabatur, seque manifestabat sub lingua per plagam rubram duriusculam, paulopost maculam nigram colore plumbi, indolentem. Cum sopore, cui obtemperare periculosum fuit, die tertio necabat. Interdum pustulae paruae in ambitu cernebantur, faucibus ipsis affectis. — Maximino imperante A. C. 312, pluuiis hyemalibus absentibus, sterilitate et lue dominantibus, comparuit *ελκος*, ob calorem et ustionem anthrax cognominatum, nulli parcens parti, ad canthos oculorum maxime molestum, multa hominum millia excoecans. — In Aquitannia et regionibus Galliae Angoumois, Périgord et Limousin, febris carbuncularis (*le feu sacré*), breui tempore, 40 hominum millia abripuit, quare a bellis cessatum, bona claustris collata et Hierosolymam itum est A. 992 (*Mezeray*). — Anno 1587. Madriti variolis accessere carbunculi, ex quo connubio 5000 hominum necata sunt. Burgis et Barcellonae morbus pesti similior, pluresque carbunculi, vno minus exitiosi, fuerunt. Circa 1595. carissimae annonae tempore, sub constitutione cholericâ, carbunculi cum hyperemesi comparebant, et per sudores largos iudicabantur. Annis proximis in Hispania et Portugallia, cum morbo pestilenti, carbunculi plures, quam bubones, comparebant. In Granada et Andalusia saeuiebat carb. anginosus, annis sequentibus infantes vexans (ne fors scarlatinae exordium aut modus?). 1628 pestem in Germania meridionali, Heluetia, Gallia, carbunculis multis cito

erumpentibus; criticis, fuisse mitigatam, referunt *Beaumont* et *Paauw*. Circa annum 1744., turbis praegrandibus atmosphaerae successit lues pecorum, cum laringitide gangraenosa, in plurimis Europae partibus, cum carbunculo symptomatiko. Similis epizootia ab a. 1745 usque 1775 iterato grassabatur. A. 1788., aestu saepe incidente, anthraces cornutorum, equorum, suum, liquorem flauum continentes, post paucas horas exitiales fuere (*Schrank*). 1803. mense Iulio, aestu nimio, in partibus Sueviae superioris (praepimis in der Baar) anthrax, cito lethalis (der gelbe Knopf), equos infestabat. Furentibus vero inter animalia domestica illis morbis, non parvam homines malorum habuisse partem, obseruationibus omnis aevi extra dubium positum est.

In causam, quam hodie proximam appellare amant nosologi, inquirenti, densissima occurrit caligo, vix vnquam facibus, ex metaphysicae armamentario sumtis, discutienda. *Vir Hippocraticus* ait: „Foeditas potius, quam morbi: „*fauus, strumae, phygethlae, furunculi, carbunculus ex* „*pituita oriuntur. Galenus de atra bile: cum vero* „*tale quidquam cum febre exoritur, humor melancho-* „*licus, qui in cutem abscessit, facit eum, quem carbonem* „*nominant — — — Venae crassum nigrumque humo-* „*rem, qui cutim penetrare nequit, aduehendo, carboni,* „*si excernenda illa calida sunt, originem praebet. — De* „*tum. praet. nat. gangraenae autem carbunculi que sunt, cum* „*sanguis, qui veluti inferbuit et prope ad inflammatio-* „*nem deuenit, cutim deusserit, etc.“ — — — „ab atra* „*bile existit ulcerum malignitas in carbunculis, nam vel* „*statim in principio, vel in ipso feruore, superassatum* „*sanguinem fieri melancholicum apparet.“ Ubi vero san-* „*guis influens niger, crassus, feculentus, feruidus, cum* „*sanie tenui admista, pustulas quasi ab igne excitat, etiam* „*anthracem compellauit (anthracem ab anthrace s. carbone,* „*more illorum non distinguens, qui marasmum a tabe, asthenian*

a debilitate toto differre coelo etc. putant). *Paulus Aegineta* et *Arabes*, ex imitatione Galeni, etiam sanguinem ardentem, atra bile infectum, ut et *auctor definit. medic.* accusarunt, anthracis causam. *Fabr. ab Aquapendente* sanguinem nimium ardentem topiceque redundantem, cum omni cohorte aevi medii scriptorum, culpat. Vix post 2000. annos ultro in explicanda penitiori natura peruenimus! *Chelius* bilem et sordes primarum viarum, quorum, maxima in sanguinem et reliquos humores est efficacitas, anthracis causam statuit, frequens nempe symptoma febris gastrico-biliosae. *Bücking* itidem sordes primarum viarum, *Bernstein* materiam peccantem in cutim depositam, interdum febrim malignam; *Schmucker* acrimoniam arthriticam; *Mursinna* febrim putridam; *Callissen* saepe humores prauos; *A. G. Richter* metastasim acrimoniae sanguinis, saepe numero arthritidem, inter causas carbunculi et pustulae malignae numerarunt. Idem *Richter* serius anthraces pronunciauit esse fere semper criticos aut metastaticos, frequenter saltem, iis erumpentibus, febres mites aliaque minora incommoda euanescere, imo iisdem febres vehementiores, inprimis myco-entericas exanthemataque mitigari, si plures compareant; dyspepsias chronicas, asthma, hypochondriam, maniam, ipsam beneficio anthracum fuisse sublatas; in typho putrido, cuius quam maxime critici sint, ne fors saepe sustentari materiis septicis primarum viarum; formam propriam anthracum in certis regionibus endemie originariam esse posse, vix solo insectorum punctu producendorum, quibusdam annis frequentiorum; plures, ubi synchroni, aut brevi tempore se excipientes sunt, per acrimoniam sustentari, syphiliticam, aut arthriticam, atque tunc saepe pertinacissimos, malignos, facillime gangraenescientes ac lethales esse. Porro interdum furunculorum habitualium, similis notae, rationem contineri in abnormi cutis organisatione, aut symptoma esse syphilidis longaeuae, atque tunc ne fors coitu et attactu inficiendi vi pollere.

Schraud hungaricum anthracem, licet quandoque sine febre incedat, semper biliosum esse contendit.

Quod, prae aliis corporis partibus, communia integumenta carbunculus vexet, in eo situm esse docetur, quod noxis, cum externis, tum internis, plurimum sunt exposita, utpote quae latissime patent, creberrime in morbis symptomatice, aut critice inflammantur. Causa diuersitatis inter anthracem et pustulam malignam iam ab *Auicenna*, *F. Widemann*, *Boerhaave*, et inter recentiores auctores, a *Mouton* et plurimis aliis exposita, ex tenebris nondum eruta est. *Kausch* pustulam nigram, carbunculum typhoidem, carbunculum lieniticum s. febr. carbuncularem, morbum esse eundem autumat, formae variae, pro diuersitate animalis, partis affectae, vehementiae morbi, aliorumque adiunctorum. *Boyer* anthracem a pustula maligna habitu externo solum differre docet. Ast *Thomassin*, *Enaux* et *Chaussier* contagium esse varium, et decursum non omnino eundem affirmant. *Pinel* inquirendum restare dicit in rationem, quae pustulae malignae, ab externa, et ab interna causa natae, cum anthrace, erysipelate gangraenoso, gangraenaque intercedit.

Dignoscitur vero carbunculus et pustula maligna a *pernion*e et *ambustione*, habitu proprio, et ex eo, quod harum affectionum causa excitans cognita sit. Arabes, qui variolarum nomine etiam *ignem sacrum*, seu carbunculum, comprehenderunt (*Hahn*, *Triller*, *Werlhof*), vix quisquam hodie imitabitur; variolae enim, etsi gangraena corripiantur, ex habitu et decursus ratione facile distingui possunt. *Galenus* iam colorem erysipelatis diuersum a colore, magis nigro, anthracis rite distinxit. Rubor erysipelati proprius diffusus est, pustulae tantum in morbi ulteriori progressu excitantur et gangraena tantum in fastigio phlegmones euoluitur. Furunculus perperam irritantibus curatus, gangraena potest corripi (*Heim*), et passim tamen, ut ab ipso *Chelius*, tantum vi phlogoseos et nisu in gangraenam

minoribus, a carbunculo diuersus esse putatur, vnde hic etiam furunculus malignus cognominatur. Differentia tamen in caractere ipso vtriusque morbi sita est. *Vicdessus* contendit, furunculum abscessu distingui ab anthrace, qui in ipso corio mersus sit. Furunculi centrum plurimum dolet et nucleus semper suppuratur, quod vtrumque in anthrace non fit. Morbum inter furunculum et carbunculum quasi medium, nomine ital. *Vespajo*, *Galvani*, *furunculi carbuncularis* vero *Fosbrooke* describunt. Similitudinem aliquam cum carbunculo habet *epinyctis*, regionum calidarum morbus, de quo *Dioscorides*, *Aëtius*, *Forestus*, *Severinus*, *Riverius* et *Hoegel* egerunt. Erumpit plerumque noctu pustula subliuida, aut nigricans cum dolore et ustionis sensu quasi ab igne, humore tenui acri repleta, post paucos dies in ulcus ichorosum, sordidum conuertenda, materiam glutinosam fundens. *Strack* quandoque plagas, quinque pollices amplas, inde ortas, quibusdam locis cutim nigram, ac si adusta esset, et secedente paulatim crusta, foueam in cute obseruauit. (*Jos. Frank* vidit cicatrices, quales ab epinyctide remanere solent, a morbo vix definiendo). Alias consistit in pustulis plurimis, synchronone interdum, in trunco vel in artubus comparentibus, fabae volumen fere adispicentibus. *Thermintus Galeni* pustulae sunt dolorificae, margine purpureo, apice nigro, similes pisis et figura et mole (*Erbsenblattern*), nonnunquam in gangraenam abeuntes, ut plurimum tamen, crusta, tertio quartoue die decidua (*Schälblasen*), terminandae.

Terminationes, quas anthrax et pustula maligna petunt, eadem prorsus sunt, quae gangraenae et sphaceli, in sanitatem scilicet, aut in mortem. Physiocratiâ sola, per artem spuriam non turbata, aut quod multo faustius vertere solet, per artem genuinam adiuta, optatus exitus obtingit. Irritatione topica lenita, vicinorumque phlogosi moderata et interna causa sublata, aut sopita, in limite, qui partem correptam a sana discernit, phlogosis benefica,

rubore laeto, excitatur; cumque resolutio plenaria nunquam induci possit, vasis absorbentibus, ad actionem iustam compulsis, viuae partes, mortuis contiguae, ab hisce separantur et eschara sphacelosa per frusta discedit. Vasis magnis raro et tarde perrosio, interea phlogosis adhaesiua, malum limitans, vasa conglutinat, thrombo sanguinis a nonnullis, vas obturante, viso. Pure bono producto, granulicis papillisque enatis, vlcus purum demum consanatur. Febris simul cum malo topico meliorem acquirit indolem. Ubi vel ob sedis, quam morbus topicus tenet, dignitatem, aut ob febris summum orgasmum, aut denique extremam bio-energiae exhaustionem, gangraena, in mortificantem sphacelum transgressa, partes late depascit, vita brevi extinguitur, die primo, aut altero iam, aut proximis.

Resolutionem et suppurationem anthracis et pustulae malignae frustra expectari iam dictum est, quamvis *Bunge* carb. sibiricum epidemium illas terminationes admittere obseruauerit, si in principio remediis aptis curetur. Frequenter vitam tollit, praesertim plebeiorum, cum initium eius ab ignaris vilipendatur. Malignum prae aliis faciei anthracem scribit *Aëtius*. Pessimi quoque ominis est, morbus in senibus et cachecticis, nisi alia eo comparente tollantur incommoda. Faustum est praesagium, dum morbus topicus, natura cito limitatur, dum partem, necessitate ad vitam, minus nobilemprehendit, dum contagii vis minor, numerus carbunculorum exiguus, febris synocha mitior, aegri constitutio et temperamentum bona sunt. In contrario rerum statu, mortis periculum frequenter omnino imminet.

Remedium prophylacticum aduersus morbum fatalem, semper efficax, incassum quaesitum est. *Pinel* lotionem partis, a suspecto corpore contactae, sapone, aut lixivio cinerum, aut aceto commendat. Legibus, de morborum epizooticorum tractatione, a civitate latis, periculis quoque carbunculi magnam partem praeventitur. Insecta, qualicunque demum ratione nociva, fumo stercoris et vegetabilium

fugantur. Nec abs re esset, corpus oleo illinire, aut, saltem reti, oleo imbuto velare. In Sibiria asa foetida, collo animalium domesticorum appensa, aut pix, pelli inuncta insecta arcet (*Bunge*).

Curationis primum et praecipuum consilium sit directum in sufferendas, siquae adhuc adessent, causas, aut saltem minuendas. Ubi causa interna est, ibi actio principii morborum in cutem dirigenda ac vires vitales, per omnem morbum, in iusto tenore conseruandae sunt. Inflammatio localis nimia moderanda, progressusque mali in spatium amplius coercendus. Non minorem febris cum vehementia, tum indoles exposcit attentionem.

In principio, ubi multa inualuit phlogosis, ad eam frangendam, in ambitu anthracis, aut pustulae malignae, hirudines applicare conuenit. In ipso inflammationis centro fomenta frigida, bono cum successu tentata, similitudo anthracis cum gangraena pernionis commendare videtur, in recenti morbo, ampliori experientia confirmanda. *Galenus meth. med.* iam refrigerantia laudat. *Ios. Frank* egregios fotuum frigidorum effectus, *Wilnac* 1821 se fuisse expertum scribit, in centro tumoris cataplasma emolliens tepidum, in peripheria vero aquam frigidam cum aceto lithargyri adhibens. Virtutem frigoris praedicant *Ficker* et *Kottmann*. In medio plagae patientis cataplasma emolliens, aut rarius emollienti-narcoticum, aut parum stimulans cum fructu adhibetur, quo scopo varia a medicis et ab ipsa plebe, in usum vocari solent. *Galenus de comp. med. p. g.* circumpositas partes cataplasmatibus fovere, quae aequalem vim habeant, ut repellant et mediocriter refrigerent et digerant, auctor est; *in arte curativa ad Gl.* cataplasma ex orobi farinam et oxymelite laudat, alio loco cataplasma ex arnoglosso (plantagine), aut ex lente cocta, micae panis teneri remixta. *Z. Platner* farinam cum lacte coctam, cum oleo pingui, melle et carica; item radices althaeae etc. hb. alth., malv., brancae ursinae, etc. flor. melil, verbasci;

sem. mucilaginoso-oleosa, olea blanda; empl. melil. *Bücking* ceratum emolliens, nempe: cepearum sub cineribus coctar., cerae flavae, picis singul. unc. duas et semis; sapon. venert. semin. foeni graeci singul. unc. tres, et oleum oliv. applicare iubet; super haec cataplasma calidum humidum, pressione omni vitata; praeterea empl. molle, camphora laute inspersum, annuli instar, circum cataplasma. *Bernstein* conficit pulvem e seminibus lini, fl. cham., simila, pulv. chinae, aceto; hisque tumore se non elevante, imo concidente, fermentum panis, theriacam, cepas tostas addit, quod et *A. G. Richter* probat, qui serius adnectit calamum aromaticum, myrrham, aloën, camphoram, eo largius, quo anthrax magis in gangraenam nititur. *Bernstein* praeterea emplastrum *Bechholzianum* (nigrum, s. sulfuratum Pharm. Boruss.) laudibus extollit, quod constat: coloph. unc. octodecim; tereb. unc. sex; gg. ammon., galb., sagap. myrrh., asphalt. singulorum unc. quatuor; olei lini sulf., ol. tereb. singulor. unc. octo; camphor. unc. una et semis; cui superponit cataplasma superius expositum. Postremo in casu *Z. Platner*, supradictis emollientibus subiungit cepam ustulatam, allium, caricam, saponem, mel ac fermentum panis, saliva subacta: deinde gummi ammon., galb., sagap., bdell. sola, vel cum aceto; empl. diach. comp. *Kausch* cataplasmata emollientia, calida applicare continuat, ubi iam nucleum natura secernere molitur, id quod ex mente *τῆς Chelii* vix est probandum; indicio manifesto, non ubique terrarum, nec semper remediis iisdem esse locum. Commendantur praeter enumerata, complura alia, qualia sunt: butyr. insulsum cum pice; empl. cicutae et gg. resinosum; a *I. Prevotio* caro cydoniorum, a *Paraeo* raphanus rusticanus, a *Bartholino* smilax aspera, a *Bucholz* et *Marquet* sedum acre, a chirurgo quodam in C. Pestinensi, tanquam remedium eximium, fructus solani lycopersici. Rustici hungari, raro medicum consulentes, carbunculo applicant promiscue cepam tostam, pruna matura cum pulv. capsici an-

nui; prope Ketskeméth salem, piper, pruna tosta et vitellum ovi; plebs Sümeghiensis artum supra anthracem ligans, pomis aut prunis coctis, cum pipere, capsico annuo, cochl. armor. permixtis fouet; alii fol. dat. stramonii, aut vngu. ex sapone cum camph. Caeterum pro instinctu lac coagulatum, aut vinum acidum bibunt. — Cohors hæc medicamentorum in iustum et morbi gradui, ac profectui convenientem ordinem disponenda, non susque deque adhibenda est. Ubi iam gangraena ingruit, aut adest, partes finitimas herbis aromaticis, in vino coctis, et spir. arom., v. camphor., fouere expedit. Plagae iam gangraenosae, parum licet extensae, caustica s. escharotica poscunt, quorum utilitatem in eo positam esse retur *Pinel*, quod figant virus in crusta, monens delectum eorum minime esse indifferentem, ac primum tenere locum acidum sulfuricum, muriaticum lapidem infernalem et butyr. antimonii. Apud *Galenum* misy, chalcitis, arsenicum, calx, chrysocolla, nitrum tostum (nostrum natrum) lapis asius, alumen, diphryx, sal ammon., atrament. sutorium, etc. varie coniuncta, et ab inventoribus denominata, cum oleo veteri, aut aceto, resina, aut aliter praeparata, occurrunt. *Enaux* et *Chaussier* etiam caustica suadent. Sequentia ab aliis praedicantur caustica, aut acria: cantharid. a *Riverio*, vitriolum caeruleum la *Liautaud*, lapis causticus a *Carron*, *Hochmayer* et *Davy* la *Chevrier*, arsenicum ab *Agricola*, *Carcano*, quorum postremum etiam agyrtae inter Parisios et Aurelianum in usum vertunt. Si admodum pertinax sit carbunculus, et nimium depressus, ferro candenti adurendus est, suadentibus *Celso*, *Galeno*, *Conr. Gesner*, *Chesneau*, *Dusaussoy*, *Pouteau*, de la *Vigne*, *Sculteto* et aliis, etquidem *Celso* auctore, protinus eousque, dum ab omni parte doloris sensus cesset. Calcem vivam etiam *Aëtius* commemorat. *A. G. Labarraque* chlorureti oxydi sodii, in gena, expertus est efficaciam.

Aperturas, ne fors sponte natas, tempestiue ampliare, aut vbi desunt, incisionibus in escharam, facere oportet (*Bernstein, Richter, Chelius*), vt ichori malefico liber pateat effluxus. Eschara mobilis, congruo adminiculo, remoueri debet. Cauendum summopere est, ne loca circumiacentia nimium quantum irritando, admodum vehemens inflammatio cieatur, in gangraenam ruitura, malumque auctura. Si locus gangraena correptus iam latius extensus est, aptius (*Chelius*) scarrificatione, repetita etiam (*Calissen*), partes corruptae a viuis solertissime separantur. *Galenus* incisiones mediocribus altiores commendat, et *Bücking* inscindere iubet audacter, profunditate tenacitateque non ventantibus, si opus iterato, et superponere vnguentum digestium, cum cerato superius exposito. Scarrificationem profundiore quidem *Pinel*, non tamen ad viuum vsque, perfici iubet, eo proficuum, quod et ipsas partes sanas salubriter incitet, et remediorum directam admittat actionem. Sine timore limites gangraenae migrandi in altum scissionem fieri vult *Gendrin*, et mox escharotica potentiora adhiberi. Nonnulli filum duplex, acus curuae ope, per gangraenam traiciunt, atque fili extrema attollendo inuicemque propius ducendo, discindunt, quasi saponem partirentur. Residua dissoluta scarrificando iidem remouent. Sectionem profundam, crucis forma, tollendae constrictionis partis affectae ergo, *Bernstein* et *Chelius* facere consueuerunt. Non desunt, qui incipiente malo topico partem corruptam, centrum scilicet nigrum, cultro eximunt, ita vt fouea infundibuli referat figuram (*Kausch*), et mox impense parietes foueae adurunt lapide infernali, acido muriatico oxygenato, butyro antimonii, imo ferro candente. *Z. Platner* extirpatione recentis carbunculi, phlogosim orarum periculosam reddi timet. *I. I. Plenck* post scarrificationem, puluerem camphorae, et desuper vnguentum de styrace adhiberi ab aliis scribit. Ipsa partis affectae amputatio fuit proposita a *Heluetio*

(Paris 1740.), qui dicit: „ergo amputatione tutius, quam „decussata sectione anthrax serpens curandus.“

Locus a gangraena liberatus, deligatur stimulantibus remediis, sine suppurationis salutaris obtinendae. Utilia laudantur haec: ungu. digestivum, de styrace, aegyptiacum et similia. Commendant et alia auctores: *Platner* essentiam vulnerariam et empl. diachylon comp. *Calissen* oleum tereb. sal. ammon., chinam, *Bernstein* iniectioes decocti chinae vinosi, cum myrrha et melle rosarum, *Richter* chinam, camphoram, *Pinel* praeterea spirituosa, aromatica. *Chambon* sequenti compositione vsus fuit: pulv. acetat., cupri (aerug. cryst.) vnc. vnam; aloës socc., gummi resin. myrrhae, singul. unc. semis; spir. camphor et ammoni., theria. uenet., mellis puri, singulorum unc. unam. f. ungu. *Menuret* unguentum e vitello ovi et muriate sodae illinit. *Odier* cataplasma ex puluere carbonum, opio et camphora applicat. Ulcus purum filamentis carptis, aqua tepida, aut aceto saturni pauco permixta, imbutis operire conuenit, natura sanationem perfectura. Sibirii pustulam malignam et carbunculum, ad doloris vsque sensum, sanguinis comparitionem, perforatum acu aut subula, sale ammoniaco et pulu. hb. nicotianae tabaci repetito perfricant. Curationis hic modus magistratum auctoritate in Russia publici iuris factus est. Alii, quin carbunculum perforent, lixivium potassae in decocto tabaci et alumine applicant; alii cataplasma calidum ex pulu. hb. solani dulcam., far. auenae, panis fermento et sal. ammoni. Sulfuris, hydrargyri, asaeque foetidae virtus exploranda foret, ob suspicionem quorundam, latentis in anthrace sibirico insecti. *Ferra-Mosea* mercurium efficacem esse retulit. Complurium remediorum, superstitione cultorum, haec pauca adferre sufficiat. *Gardane* puluerem buffonis, *Rhumelius* ranam imponendam, *de Gorris* sapphirum commendarunt. In Hungaria inferiori, ex una in aliam partem transponi posse carbunculum, credit vulgus, ranunculi repentis herbam cum adipe vetusto loco

illi imponens, in quem transferre optat. Alii eorum folia salicum cum alumine cocta, et postmodum cistum helianthemum adhibent. Alii denique anthracem e loco magnae dignitatis, in membra et ex his in terram, detrahere opinantur, alio cum puluere pyrio, in linteolum inclusis, carbunculum cruce signantes, idque terrae infodientes. Malum tamen sic tractatum esse erysipelas pustulosum, comper- tum est.

Topicae curationi semper etiam uniuersalis coniungen- da est. In synocha vehementi venaesectio a *Galeno*, *Za- cuto Lusitano*, *le Feure*, *Drouyn*, *Bücking*, *Bernstein*, *Bun- ge*, *A. G. Richter*, *Bertin* etc commendata est, poscenti- bus circumstantiis repetenda etiam, dubio haerente *Pinel*, et vix esse proficuum asserente *Chambon*. Summa tamen opus est circumspectione, ne viribus aegroti pessumdatis, febris atactica invitetur. Post esum carniū suspectarum, et affectionis gastricae phaenomenis praesentibus, emesis sine mora cienda est, quam *Schraud* summis extollit lau- dibus. Gastritidem ipsam vix illorum vsum vetare multi asseuerant. Aluum ducentia remedia, a *Bertin* initio mor- bi haud salutaria reputata, a *Pinel* suppurationem dirigere credita, minoris esse efficaciae *Jos. Frank* dicit, fere extra vsum ponenda. *A. G. Richter* tamen in ipso typho putrido purgantia, imo emetica, prodesse, auctor est. *Chelius* ec- coprotica magni facit in anthrace benigno. In morbo uni- versum organismum prehendente, et geneseos carbunculi rationem continente, diapnoica leuia, cum tart. emet. dosi refracta, quibusdam placent. Caeterum in quolibet casu indiuiduo curationem febris stadio, characteri et vehemen- tiaae accommodare oportet et consilia ex pyretologia petere. Quod ad regimen attinet, *Borellus* abstinentiam a somno in anthrace endemio utilissimam fuisse scribit. Animum bonum et spem aegri quoquo modo conseruare studendum. In conualescentia omnis attentio in abdominis viscerum con- ditionem dirigenda.

T h e s e s.

1. **M**edico adeo necessaria est factorum suae artis cognitio, ut non magis gubernatori ciuitatis historia populorum.
2. Saepe accidit, ut doctrinas specie nouitatis cultas, iam vetusta admodum tulerit dies.
3. Fontes artis medicae, perpetuum victuri, sunt: casta naturae observatio et indefessum ac *κρητικῶς* institutum Hippocratis, aliorumque naturae filiorum studium.
4. Scientias naturae docendi methodus hodie vicens, fere solo verbo, autopsia admodum exigua, aut nulla adhibita, numerum doctorum auget magis, quam scientias amplius perficiat.
5. Observatores naturae vetustissimi, omnibus temporum rerumque adiunctis rite pensatis, recentioribus plurimum praestant.
6. Morborum in systemata et classes coactio arti medicae plus detrimenti, quam emolumenti attulit.
7. Medici quidam itemque sophistae dicunt, quod impossibile est, eum medicinam cognoscere, qui non nouit quid sit homo et quomodo primum factus et compactus sit. Ego vero ea, quae ab aliquo sophista aut medico de natura dicta aut scripta sunt, minus censeo ad artem medicam spectare, quam ad pictoriam. *Hippocr. de vet. med.*
8. Praecipuus medicinae faciendae defectus non in eo vertitur, quod nesciamus, quo pacto huic aut illi intentioni satisfacere debeamus, sed quod non satis sciamus, quae sit illa intentio, cui satisfaciendum est. *Sydenh. tract. de hydrope.*

9. Non datur morbi ullius exacta definitio.
 10. Hippocrates usus non est signis ex pulsu minorum arteriarum; an vero id merito, an alioquin, aegre quis determinauerit.
 11. Per anatomen cadaverum non semper causae morborum, sed saepe numero effectus innotescunt.
 12. In morbis compluribus ferrum candens et moxam immerito medici horrent.
 13. Tartarus emeticus, praeter quam quod emesin cieat, potentissimum remedium soluens est.
 14. Diaetetike cum ad conseruandam, tum ad restituendam sanitatem longe plus valet, quam pharmakeutike.
 15. Simplex obseruatio morbi et criseos levantis, ac intellecta vis plantarum, *similes* istis crisis effectus producens, primaevos induxit homines, ut in *simili* morbo, *similem* salutarem crisis, *simili* pharmaco excitarent. *Blumenbach introd. in hist. med. lit. 1786.*
 16. Naturae salutaria molimina, ante Sam. Hahnemann, sibi principium ambigui honoris arrogantem (Vorrede zur 4ten Aufl. d. Organ. d. Homoeopathik), iam Asklepiades Bithynus et Themison Laodiceus negarunt.
 17. Medicus philosophus *ἰσόθεος*. etc. *Hippocr. de dec. orn.*
 18. Felix et celebris medicus non etiam semper bonus haberi potest.
-

- 9. Non datur morbi illius exacta definitio.
- 10. Hippocrates rurs non est signis ex parte minorum av-
- torum; an vero id merito, an alioquin, seque quis
- determinaverit.
- 11. Per anatomen cadaverum non solum or cause morborum;
- sed saepe numero effectus innotescunt.
- 12. In morbis catarrhalibus solum cadaver et moxam im-
- merito medici horrent.
- 13. Tartarus emeticus, praeter quam modum emesia ciat,
- potentissimum remedium solvens est.
- 14. Istheticæ cum ad conservandam, tum ad restitendam
- sanitatem longe plus valet, quam pharmaceuticæ.
- 15. Saepius observatio morbi et crices servatis, ac itel-
- lecta vis plantarum, aemula illis crices effectus pro-
- ducens, pharmacos inducit hominis, ut in animalis
- morbo, aemula salutarem cricis, aemula pharmaco ex-
- ciant. *Blumenbach in Nov. in Med. W. 1786.*
- 16. Naturæ salutaria molimina, ante Jan. Bahmann,
- alii principum stupidi honore innotescunt (Vomede
- sur den Art. d. Organ. d. Homocopialis) iam
- Asklepiades Bithynus et Themison Laodicæa nega-
- verunt.
- 17. Medicus philosophus iudicet, etc. *Hippocr. de Mor.*
- 18. Felix et coher medicus non est; saepe hunc lab-
- ori potest.

